

CAPUT XXIV.

UTRUM AD PRIVILEGIUM, UT LEX EST, ET AD EFFECTUS EJUS, SIT NECESSARIA PROMULGATIO, VEL QUÆ NOTITIA SUFFICIAT.

1. *Ratio dubitandi.* — Explicata virtute agendi privilegii, oportet duas circumstantias ad operandum necessarias exponere, scilicet, tempus et locum, et de hac posteriori dicemus in seq. cap., de priori in præsentia. Solet autem lex exercere vim suam a tempore promulgationis consummatæ, et non antea, et præterea requirit notitiam, vel saltem carentiam invincibilis ignorantia, ut cum effectu obliget, et ideo simul declarandum erit quomodo hæc ad effectum privilegii requirantur; hæc enim de causa (ut supra dixi) disputationem de promulgatione, quæ ad formam pertinere videbatur, in hunc locum reservavi. Quia vero multa in titulo comprehenduntur, quæ indistincte tractari solent, ideo erit operæ pretium distinguere duplicem illam rationem, quam in privilegio sæpe distinximus, scilicet, specialis concessionis et legis, priusque dicemus de illo ut lex est, quoniam promulgatio ad legem, ut lex est, requiritur. Ex hoc ergo capite videri potest necessaria promulgatio ad perfectam constitutionem privilegii, et ad effectum ejus; quia privilegium est quædam lex; sed promulgatio est necessaria ad legis constitutionem, ita ut ante illam nondum sit vera lex; at lex non potest operari antequam sit; ergo nec privilegium. Dices privilegium, quatenus lex est, non operari, id est, non obligare ante promulgationem, operari tamen, ut privilegium, id est, favorem concedendo. Sed contra, quia privilegium non est prius privilegium quam sit lex; tum quia de intrinseca ratione privilegii et quasi genus ejus est, quod sit lex: tum etiam quia non potest privilegium uni concedere beneficium, quin obliget alios ad servandum privilegiiario jus per privilegium acquisitum.

2. *Obviatur.* — In contrarium vero est, quia privilegium est lex tantum secundum quid, scilicet, lex privata, et ideo non est eadem necessitas promulgationis in illo quæ in lege communi et propria esse solet. Nam lex generalis loquitur ad communitatem, et ideo per se requirit publicam notitiam, et propter hanc necessaria est promulgatio. Hæc autem necessitas cessat in lege privata, ut constat. Confirmatur ac declaratur, quia aliud est loqui de

notitia, aliud de promulgatione; hæc enim duo diversa sunt; nam potest ignorari lex promulgata, et sciri non promulgata. In privilegio ergo necessaria esse poterit notitia, ut vim legis exerceat, obligando; illa vero sufficit, etiamsi non præcesserit promulgatio, quia cum privilegium sit lex privata, sufficit privatim intimari illis qui virtute illius obligandi sunt, alii vero ignorantes non obligantur, ratione ignorantia, vel quia forte ad illos non dirigitur obligatio privilegii.

3. In hoc puncto distinguere possumus duplicia privilegia. Quædam enim feruntur per universales leges, quarum exempla sumi possunt ex c. *Si quis suadente*, Clement. *Dudum*, de Sepult., Clement. unic. de Bapt., Clement. *Dignum*, de Celebr. Missar., Clement. *Archiepiscopo*, de Priv. Alia vero sunt privilegia quæ privatim conceduntur, per particularia indulta vel rescripta concessa particularibus personis, vel communitatibus, vel religionibus, universitatibus, vel etiam hospitalibus, in quibus prius solent poni concessionem, et postea adjungi præcepta, vel prohibitiones sub censuris, ut nemo talia indulta impediatur, etc. In prioribus privilegiis affirmant doctores necessariam esse promulgationem; de posterioribus autem negant. Hanc distinctionem insinuat Fel. in c. *Cognoscentes*, de Const., n. 7, limit. 3; licet enim primum membrum non ita clare exprimat sicut secundum, utrumque tamen intendit, ut ex discursu et ratione ejus constat. Et in eam sententiam citat Baldum et alios; loquitur tamen indistincte de privilegiis, ut favores sunt, vel ut sunt leges. Clarius tradit distinctionem illam Glos. in Procem. Clement., verb. *De cætero*, et utrumque membrum amplectitur, estque sententia valde probabilis, si recte explicetur.

4. Primum ergo membrum, de legibus communibus tribuentibus privilegia, probatur optime ex l. pen., c. de Decuri., l. 40, in fin., ibi: *Ex die quo promulgata est*. Ratio vero est, quia ante promulgationem non habent vim legis; ergo ante promulgationem nullam vim obligandi habere possunt, sive ad effectum privilegii, sive ad quemcumque alium. Confirmatur, quia in talibus legibus vel privilegium inseritur tanquam accessorium principali, vel ponitur ut principalis effectus ipsius legis, propter quem stabilendum lex fertur. Si priori modo contineatur privilegium in lege, necesse est ut tanquam accessorium sequatur naturam principalis, et consequenter, sicut lex requirit promulgatio-

nem, ita etiam privilegium, quod est accessorium illius; ergo nondum constituto sufficienter principali, non poterit esse vel obligare accessorium. Exemplum sumi potest ab indulgentiarum concessionem, in quibus habet etiam locum distinctio data; nam frequentius quidem conceduntur privatim, aliquando vero dantur per legem publicam, seu commune jus, ut patet ex Extravag. 4, de Reliq. et vener. Sanct., inter communes, cum similibus. Quando ergo hoc posteriori modo dantur, non possunt habere efficaciam, donec lex ipsa promulgata sufficienter sit, propter rationes factas; idem ergo est in præsentia. Et licet hoc exemplum principaliter videatur procedere de privilegio, ut privilegium est, nihilominus inde a fortiori sequitur idem esse de illo dicendum, ut lex est. Nam si tale privilegium in ratione privilegii non est efficax, imo nec subsistit ante promulgationem, multo minus poterit obligare: et inde facile probatur aliud membrum, ubi lex tota principaliter tendit ad constituendum privilegium, et illud habet quasi pro objecto et fine, ut videre licet in canone *Si quis suadente*, et in Clementinis allegatis; tunc enim lex nondum promulgata non potest efficere suum principalem effectum; ergo non potest obligare ad privilegium observandum, quia nondum sufficienter constitutum est.

5. *Privilegiatum non posse obligari ad aliquid ratione privilegii, ante ejus promulgationem.* — Ex quo obiter infero ipsum privilegiatum non posse obligari ad aliquid ratione vel occasione sui privilegii ante promulgationem privilegii, vel legis ex qua nascitur talis obligatio. Explicatur ex supra dictis; nam vel illa obligatio nascitur ex privilegio privato, seu in particularem commoditatem principaliter concessa, et tunc non est ipsum privilegium per se causa obligationis, sed per accidens, quasi removens, prohibens, et ideo in ipso privilegio non est necessaria promulgatio, sed notitia, ut infra dicetur; tamen in lege per se obligante necessario supponenda est promulgatio, ut per se constat. Vel obligatio nascitur ex privilegio concessa communitati, principaliter intuitu illius, licet singulis membris prosit; et tunc in tali privilegio includitur necessario lex generalis obligans totam communitatem, et ideo necesse est ut respectiva sit sufficienter promulgata, et in ratione communis legis proposita, ut possit singulos de communitate obligare ad servandum, seu non violandum privilegium:

ergo respectu privilegiarii, ut obligari possit privilegio, præsupponi debet promulgatio sufficienter juxta modum legis obligantis.

6. *De secundo membro sententiæ propositæ.* — Secundum membrum distinctionis et sententiæ propositæ non caret aliqua difficultate. Nam licet privilegium dicatur lex privata quoad effectum per se intentum, scilicet, favorem privatum, et jus speciale quod constituit, nihilominus quatenus vim habet contra alios, respectu privilegiati, aliquid gravamen aut obligationem illis imponendo, sic habet rationem legis communis, quia universaliter loquitur ad omnes, et omnes obligare potest ad quos materia privilegii pertinuerit: ergo ut tale privilegium sub hac ratione obliget, necessaria est promulgatio propria, qualis in lege communi postulatur. Antecedens videtur notum ex terminis, et ex usitato tenore talium privilegiorum. Consequentia vero probatur, quia eadem necessitas et ratio promulgationis invenitur in tali privilegio sub dicta ratione spectato, ut ex discursu facto notum videtur. Et confirmatur, quia lex privilegii aliis non promulgata facile poterit ab eis ignorari, et ita poterunt ab observatione privilegii excusari, neque ob eam transgressionem merito puniri poterunt, quia, seclusa promulgatione, nemo tenetur legis scientiam inquirere.

7. *Conclusio.* — *Dupleæ titulus promulgationis.* — Nihilominus dicendum est in hujusmodi privilegio non requiri propriam promulgationem ad quamcumque obligationem quæ, respectu aliorum, ex illo potest oriri. Probo primo ex usu, quia non solent talia privilegia solemniter promulgari, et nihilominus censentur obligare quantum possunt, si sufficienter probentur, et notificentur. Secundo, declaratur ex re ipsa: nam hæc obligatio dupliciter potest intelligi exoriri: primo, per naturalem resultantiam et consecutionem, sicut ex præscriptione sequitur obligatio non privandi alterum re legitime præscripta; alio modo directe ratione præcepti impositi in ipso privilegio ab auctore illius, sicut, in bullis pontificiis quæ in favorem religionum vel aliorum expediuntur, fieri solet. Ad priorem igitur modum obligationis non est necessaria promulgatio privilegii, sed sufficit notitia moraliter certa de jure concessa alteri per privilegium, quia statim ex naturali ratione justitiæ oritur obligatio, facta in materia tali mutatione, sicut, facta donatione alicujus rei alteri, statim resultat naturalis obligatio non privandi donatarium jure acquisito in talem

rem; neque oportet donationem promulgari, sed satis est ut sit nota; sic enim concessio privilegii est veluti donatio quædam: unde hoc non procedit tantum in foro conscientie, sed etiam in foro exteriori, si in illo privilegium sufficienter probetur, quod onus privilegiario incumbit; et ita videmus in jure canonico juxta hujusmodi privilegia passim proferri sententiam, nec in illis requiri promulgationem, sed probationem.

8. *Cura notificandi privilegium non spectat ad principem, sicut solet cura solemnium promulgationis.* — Neque etiam ad alium modum obligationis necessaria est solemnium promulgatio, sed sufficiens præcepti intimatio per authentica instrumenta, vel æquivalentem probationem, ut consuetudo etiam probat. Et ratio est, quia tale præceptum non imponitur Ecclesie, aut alicui communitati per se, propter publicum bonum, vel gubernationem, sed ponitur ut particulare præceptum aliis datum in favorem privilegiarii, solum ad effectum et observantiam privilegii, et ideo non est in illo necessaria solemnium promulgatio, sed particularis notificatio accommodata fini talis præcepti. Confirmari hoc potest, quia in tali indulto privilegium ipsum est principale; præceptum autem quasi accessorium; et ideo sequitur naturam principalis, ideoque ut lex privata reputatur, ad quam solemnium promulgatio non requiritur. Denique ob eandem causam cura notificandi privilegium non spectat ad principem, sicut pertinere solet cura solemnium promulgationis ubi est necessaria, sed spectat ad ipsum privilegiarium, qui poterit privilegium suum intimare, aut notum facere, prout sibi utile fuerit. Atque hoc tam in foro conscientie quam in foro exteriori locum habet, quia eadem est utriusque ratio, supposita sufficienti probatione. Unde si tale præceptum privilegio insertum habeat annexam excommunicationem ipso facto, illam in conscientia incurrit, qui contumax fuerit contra tale præceptum, si sufficienter intimatum; et in iudicio exteriori talis veniet declarandus, si ejus contumacia habita post sufficientem notitiam privilegii, et præcepti in eo impositi sub tali censura, legitime probetur.

9. *De notitia vel probatione requisita in privatis privilegiis.* — Non sufficere assertionem dicentis se habere privilegium, licet sit persona bonæ famæ et fide digna; sed requiritur aut ostensio privilegii, vel alia probatio quæ prudenti arbitrio sufficiat. — Statim vero occurrit dubitatio, quæ notitia vel probatio re-

quiratur in his privatis privilegiis, ut inferiores Prælati, aut iudices, aut aliæ personæ ad quas pertinere potest, teneantur illis parere, vel eis non contravenire. Sed quia hoc magis ad forum externum attinet quam ad internum, breviter illud expediatur. Nam in foro conscientie sufficit notitia privilegii moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non possit; tunc enim, quæsito aliquo falso colore, tergiversari et voluntati superioris resistere, non potest in conscientia esse licitum. Ad hanc autem notitiam non sufficit assertio dicentis se habere privilegium, etiamsi sit persona bonæ famæ et fide digna, ut communiter cum Innoc. tradunt canonistæ in cap. *Ex parte*, de Verbor. significat. Et ratio est, quia nemo est in propria causa testis omni exceptione major, et quia angelus satanæ transfiguratur se in angelum lucis, et multa mala committuntur sub dolosa specie sanctitatis, et ideo non solum non tenetur quis credere dicenti se habere privilegium, ad effectum admittendi usum ejus, verum etiam nec recte faciet tam facile credendo, regulariter loquendo, propter pericula et fraudes quæ intervenire possunt. Aliquando vero id fieri poterit ex urbanitate, quando non occurrit peculiaris causa suspitionis, non vero ex obligatione. Ad hanc ergo necessaria est vel ostensio privilegii, vel alia probatio quæ prudenti arbitrio et bona fide procedendo, sufficiens existimetur in conscientia.

10. Multo vero magis in foro exteriori necessaria est ostensio indulti per instrumentum authenticum, vel in se demonstratum, vel saltem per testes probatum, juxta superius dicta cap. 2, et tradita communiter a doctoribus ibi citatis, et a Sylvest., verb. *Exemptio*, q. 5 et 7, ex cap. *Cum personæ*, de Privileg., in 6, ubi Glossa, doctores, Panormit. in cap. *Cum ordinem*, de Rescript., Innocent., Anton., Henr. et alii in dicto cap. *Ex parte*. Qui addunt limitationem, dicentes hoc esse necessarium, quando privilegium non est publice notorium: unde insinuant publicam notitiam esse sufficientem probationem, ut tunc ostensio privilegii postulari non debeat, nec juste possit. Quod intelligendum esse existimo, quando publica notitia non tantum est per famam (quæ per se non facit sufficientem probationem, sed ad summum semiplenam), sed etiam per usum privilegii communem et notum. Tunc enim ipse usus confirmat privilegium, et confirmat jus: unde, si tantus sit ut notoriam præscriptionem legitime induxerit,

illius probatio vel publica notitia sufficere; si vero nondum sit consummata præscriptio, vel non sit notoria, sufficere ille usus, ut non privetur quis possessione et usu sui privilegii, intra sufficiens tempus ad tollendum illud, ut latius Sylv., supra, quæst. 6, allegans plures, prosequitur.

CAPUT XXV.

UTRUM PRIVILEGIUM NONDUM PRIVILEGIARIO NOTUM
NEC AB ILLO ACCEPTATUM, CONFERRE ILLI POSSIT
ALIQUOD JUS.

1. Venio ad alteram partem de privilegio, ut privilegium est, id est, ut favorabilem effectum in privilegiario operatur, et dat illi facultatem illo gaudendi; nam in illo ut sic considerato habet locum quæstio, quando incipiat operari suum effectum. De tribus autem temporibus dubitari potest, scilicet, an a tempore concessionis, vel promulgationis, vel notitiae. Verumtamen de tempore promulgationis nulla est hic habenda ratio, quia in ordinariis privilegiis privatis neque est necessaria, neque fit promulgatio, ut dictum est. In privilegiis autem publice concessis per legem communem et propriam, licet necessaria sit promulgatio, nihilominus per illam videtur privilegii concessio consummari ex parte concedentis, nam antea non est sufficienter facta, quia voluntas principis antea non est sufficienter proposita et declarata. Et ita tota quæstio versatur inter concessionem et notitiam, id est, utrum statim a concessionem ante notitiam privilegii consequatur quis effectum seu gratiam privilegii, vel (quod perinde est) an privilegium operetur circa ignorantem.

2. *Communium sententia.* — Prima et communis sententia est, necessariam esse notitiam privilegii ad consequendum effectum illius. Ita Glossa in c. *Ex parte*, de Concess. præbend., in 6, verb. *Vim suam*, et ibi Card., et in Procem. Clement., verb. *Universitati*, q. 5; Joann. Andr., et fere alii expositores in d. § *Ex parte*. Sequitur Panormit. in cap. *Cognoscetes*, n. 7, et ibi Felinus, qui referunt Innocent. et alios; et idem sentit Bartolus in lege *Beneficium*, ff. de Const. princ., n. 4; et ibi Baldus, n. 15; et communiter summistæ, et plures alii quos refert et sequitur Sancius, l. 3 de Matrim., disput. 36, n. 2. Fundamentum est, quia privilegium non acquiritur absenti; ergo neque ignoranti; ergo nec operatur in illo. Antecedens probari solet ex lege *Qui*

absenti, ff. de Acquir. possess., ubi dicitur libertatem non acquiri per rescriptum manumissionis, donec servus sciat et acceptet. Idemque de legitimatione dicitur in Auth., Quibus modis naturales efficiantur sui, § *Illud tamen*, verbo *Generaliter*; et idem de concessionem beneficii dicitur in cap. *Si tibi absenti*, de Præbend., in 6; et generaliter de privilegio id dicitur in dicto c. 1 de Concess. præbend., licet non habeatur in decisione textus, sed in narratione. Ratio autem adæquata esse videtur, quia ad effectum privilegii non satis est concessio activa, sed debet etiam supponi acquisitio passiva; hæc autem non fit sine voluntate privilegiandi acceptantis, quia beneficium non fit invito, neque aliquis potens uti voluntate aliquid acquirit non volens; ad voluntatem autem acceptandi necessaria est notitia, quia voluntas non fertur in incognitum; ergo de primo ad ultimum privilegium operari non potest ante sui notitiam circa ignorantem.

3. *Secunda sententia.* — Secunda sententia, extreme contraria, est privilegium habere suum effectum statim ac perfecte concessum est, etiamsi ab eo cui conceditur ignoretur. Pro hac sententia citari solet Glossa in Procemio Clement., verb. *De cætero*. Sed si attente legatur, de promulgatione loquitur, non de notitia. Tenent Geminian. in c. 1 de Concess. præbend., in 6; Archidiacon., in cap. *Posuisti*, dist. 82, ad fin.; Angelus, verb. *Renuntiatio*, n. 5, quando privilegium conceditur motu proprio; et plures alios refert Sancius supra, n. 1. Favet Bartolus in l. ult. c. de Sentent. passis, n. 5, ubi ait restitutionem deportati prodesse ignorantem, cum tamen illa quoddam privilegium sit. Et suaderi potest ex lege *Ejus qui in provincia*, § ult., ff. Si certum petatur, ubi dicitur libertatem testamento relictam acquiri ignorantem; ergo pari ratione privilegii beneficium acquiritur; nam voluntas principis non est minus efficax quam voluntas testatoris, imo æquiparantur in Authent. de Nuptiis, § *Disponat*, collation. 4. Et hinc potest adjungi ratio, quia voluntas principis est de se efficax ad conferendum beneficium; ergo, posita illa voluntate efficaci principis conferendi privilegium Petro, sine ulla conditione vel limitatione, statim conferet illud, et effectum ejus. Probatur consequentia, quia voluntas efficax statim operatur quod vult. Antecedens vero probatur, quia voluntas principis superior est, et non indiget voluntate subditi ad suum ef-